

Sparguntur ab Antimonis, Pontificijs & alijs: Interim tamen **PRINCIPALITER** hoc peccatum committitur circa doctrinam Evangelij.

32. Quod ut dilucidius pateat, notandum, peccata, quæ in doctrinam Evangelij committuntur, esse gemina: Aliud enim committitur in Filium hominis: aliud in Spiritum Sanctum.

33. Peccatum in Filium hominis rursus duplex est: Vnum Incredulitas per Ignorantiam, quando quis veritatem doctrinae Evangelice nondum agnitam oppugnat. **Peccatum in Filium hominis.**

34. Quale peccatum fuit in persecutore Paulo, ipsomet disertè fatente, quòd prius blasphemus fuerit & persecutor: Sed misericordiam consecutus, quia ignorans in incredulitate peccavit. 1. Tim.

1, 13.

35. Et in Iudæis quibusdam, qui offensi humili Christi forma Messiam eum non agnoverunt, nec in eum crediderunt, sed per ignorantiam in crucem egerunt: de quibus Apostolus pronunciat, quòd si Dominum gloriæ cognovissent, non crucifixissent. 1. Cor. 2, 8.

36. Alterum peccatum in Filium hominis, est abnegatio ex infirmitate, doctrinae Evangelij prius agnitæ, sine hostili tamen, & ἐξ ἀσθενείας suscepta ejusdem oppugnatione & blasphemia.

37. Qualis fuit in Apostolo Petro, qui terna abnegatione Christum ex infirmitate, metu periculi adductus, abnegavit,

N 2

Et